

LXXIV.

Anno 1283. 12. Maji. Spalati.

Joannes, Spalatensis Archiepiscopus et totius Dalmatiae, Croatiae, Slavoniaeque Primas, Episcopum Scardonensem, ne in alienis Dioecesibus potestatem ordinis et jurisdictionis episcopalis exerceat, serio monet.

Johannes diuina miseracione Spalatensis Archiepiscopus, totius Dalmatie, Croatiae, Sclauoniaeque Primas, venerabili fratri domino N. per eandem episcopo Scardonensi, salutem in domino. Testante sacro Concilio anno preterito in Spalato celebrato, ordinasse ac firmiter precepisse recolimus, quod nullus suffraganeorum nostrorum, in preiudicium alterius, clericos alterius dioecesis ad sacros ordines promouere, aut alia ecclesiastica et episcopalia sacramenta ministrare presumat, sub pena quingentarum librarum. Sed sue dioecesis finibus sit contentus. Quod preceptum et tam salubre statutum venerabilis frater noster G. dei gracia Traguriensis episcopus, in festo beati Dompnii, presentibus nostris suffraganeis, et vniuerso clero, vos infregisse grauiter nobis est conquestus, dicens, vos Sibenicensis Clericos ad sacros ordines promouisse, ac eis Crisma contulisse, nec non baptisma paruulorum, ac alia sacramenta ecclesiastica et episcopalia celebrasse, in sui preiudicium et grauamen. Cum dicti Clerici Sibenicensis et totum Sibenicum, subiecti sint de iure episcopo et episcopatu Traguriensi, excusantes uos omnia supradicto nostro mandato et auctoritate fecisse. Hanc totam suam querimoniam nobis impingendo et contra nos conquerendo, plurimum nobis, quin potius supra modum debitum, exstitit infestus et molestus, tamquam grauiter sautiatus et afflictus. Et si bene recolitis, cum nuper in societate Pauli Bani ad nos accessistis, super eodem facto non solum a Traguriensibus, sed etiam a Spalatensibus, grauissimas lamentaciones et terribiles conquestiones in presencia domini potestatis Spalatensis et omnium nobilium Spalatensium, non absque magno nostri cordis dolore, et multi certaminis agone, opposita etiam contra nos rigida, dura, aspera et molesta appellacione, audiuius. Super quibus omnibus grauiter afflicti et perturbati, ad instanciam et preces multas omnium suffraganeorum nostrorum, qui presentes in festo sancti dompnii exstiterunt, taliter vestre fraternitati scribimus et per hoc presens scriptum nostrum firmiter et districte precipimus et precipiendo mandamus: Quatenus in antea, sicut gratiam beati dompnii et nostram caram habetis, et dicti concilij penam uultis effugere, supradictam nullatenus acceptetis et in predictis nullatenus excedatis. Alioquin indignacionem